

divinum, sed potius est id a quo participatur, duratio, et esse creatum, et sic continet illas, tamquam causa tribuens illis esse non ut intra se continens, et sic mensurans, sicut immensitas tangit res creatas, et anima corpus, quod continet. Sed de hoc agendum est sequenti articulo.

XXII. Ex dictis colligitur quod res non sunt in æternitate immediate ratione sui, aut per aliquam elevationem passivam, qua a proprio esse eleventur ad aliud esse, et durationem elevationem, sed mensurantur mediate, quatenus æternitas mensurando actionem divinam, consequenter mensurat terminum, quem respicit, ut stat sub respectu actionis, et non respectu passionis, qua immutatur in se res creata, et subicitur mensuræ mutabili, quæ est propria mensura, non elevatur autem per impressionem aliquam positam in ipsa re, qua a propria mensura trahatur ad æternitatem. De immensitate autem jam diximus non pertinere ad ipsam mensurare res locatas, sed immutare suo contactu, et sic aliquid illis imprimere. Et similiter anima immutat corpus informando ipsum, et movendo: æternitas autem non imprimit, aut immutat aliquid in durationes creatas, sed mensurando actionem, mensurat etiam terminos, quos producit in tempore, et respicit ab æterno modo etiam mensurationis æternæ.

ARTICULUS III.

Utrum res physicæ contineantur, et mensurentur ab æternitate, etiam antequam sint in se?

I. Quod mensurari debeant res ab æternitate in suo esse reali, et physico, et non solum in esse cognito, vel in esse possibili, constat ex dic-

tis præcedenti articulo et ex suppositione, quod æternitas est mensura realis quantum ad durationem. Unde si mensurat, utique ipsas reales, et physicas durationes mensurare debet non durationes ut cognitæ, vel ut possibles, sic enim mensurari non possunt per durationem realem. Ergo difficultas est ex parte ipsius æternitatis, quomodo mensuret immutabili modo, ita ut sit tota simul in mensurando, nisi etiam res ipsas mutabiles, et successivas amplectatur immutabiliter, et consequenter etiam antequam sint, vel etiam postquam transierint in se. Ex parte autem rei mensuratæ est valde difficile intelligere, quomodo res antequam sit vere, et proprie extra causas possit physice mensurari, et coexistere durationi, quæ est æternitas cum nondum in se sit producta, sed solum detur decretum liberum de rerum productione, quod nihil ponit in rebus, nisi denominationem extrinsecam antequam exequatur productio. Quomodo ergo res possibles non mensurantur æternitate, et sola voluntate divina sine ulla productione ad extra redduntur physice mensuratæ. Hoc est ergo maximum, et obscurissimum mysterium hujus attributi, et in quo humanus intellectus omnino caligat, scilicet ex una parte ponere modum summe immutabilem in mensurando, ita quod non incipiat, et desinat mensurare, nec per multiplicationem, et replicationem mensuret, sicut mensuræ creatæ, et mutabiles, sed per summam indivisibilitatem, et ex alia parte ponere quod res mensurata ante suum esse mutabile, et successivum coexistat æternitati.

II. Circa hæc ergo duplex orta est sententia, altera omnium fere Thomistarum, et ut ostendemus etiam ex D. Thoma, qui constanter affirmant res omnes creatas esse præ-

sententes realiter ipsi æternitati, ita indivisibiliter, quod toti æternitati coexistent, et licet inter se secundum proprias mensuras simul non sint, ratione tamen mensuræ superioris, quæ est æternitas simul esse in ipsa, ita quod cum ad coexistentiam duorum indispensabiliter requiratur utriusque existentia dicitur tempus coexistere æternitati, non in se ipso, sed in ipsa æternitate, ratione cujus realiter ei coexistit, non solum in cognitione, et per modum objecti, sed etiam in duratione. Alia sententia est Scoti in 1, dist. xxxix; Durandi. xxxviii, q. iii; Aureoli ibidem art. 1, et aliorum recentiorum, præsertim ex societate, quos uno spiritu adductos huic sententiæ subscribere nullo dempto affirmat pater Alarcon in tractatu II de scientia Dei, disp. II, cap. VIII, num. IX, qui similiter affirmat primam hanc sententiam invenisse Cajetanum I p. q. XIV, art. III. Cæterum in utroque valde deceptus est iste auctor. Nam quod attinet ad Cajetanum quod non fuerit primus auctor hujus sententiæ ipsemet Molina respondet I part. quæst. XIV, artic. XIII, disput. XIII, ubi inquit: « Miror Cajetanum hoc loco sibi ut primo inventori tribuere rationem hanc defendendi doctrinam D. Thomæ cum ante eodem modo eam defendere Capreolus eademque innuant Richardus quodlibet. III, q. I, et alii Cajetano antiquiores. » Ubi non fuit contentus Molina dicere hanc sententiam docuisse Capreolum et antiquiores, sed eodem modo, atque Cajetanus, falsum est etiam omnes doctores societatis hanc sententiam docuisse, nam expresse sententiam Cajetani, Capreoli et Ferrariensis docent Molina loco citato, Granados I p. tract. IV, disp. III, sect. II, Fonseca VI met. c. II, q. IV, sect. II, et alii etiam, quos citat idemmet Alarcon, et in suam sen-

tentiam conatur explicare, licet illis stomachetur, quia cum nihil magis horreant quam hanc præsentiam realem rerum in æternitate, in modo tamen loquendi cum Cajetano conveniunt. Cæterum Molina expresse distinguit de esse existentiae rerum, quæ in tempore fiunt, et de esse objectivo, et cognito, et dicit: « Rejiciendi sunt Silvester in confato, Hervæus in I, dist. xxxviii, atque Hispalensis eadem distinctione q. I, qui contendunt D. Thomam non esse intelligendum de esse existentiae, quod res, quæ in tempore fiunt successive, ex æternitate habeant in æternitate, sed de esse objectivo, et cognito qui cognoscantur quoad illud idem esse existentiae, quod decursu temporis habebunt. » Et tamen Alarcon maxime utitur illis auctoribus Silvestro, Hervæo, et Hispanense ad probandum non esse ex mente D. Thomæ res existere in æternitate secundum esse existentiae, sed secundum esse objectivum, et cognitum. Videndus est Molina in loco citato præsertim in solutionibus argumentorum. Ubi ita clare docet hanc sententiam Cajetanus quod nullam potest admittere explicationem. Neque enim ejus sensus est, quod res postquam actu sunt in sua duratione temporali, sint præsentis æternitati, absolute, et adæquate, et quia æternitas est indivisibilis toti æternitati sint præsentis, antequam vero sint actu in sua duratione esse futuras respectu æternitatis, licet objective præsentis divinæ menti, ut auctor ille conatur Molinam explicare, ductus ex eo quod Molina disput. XIV, sequenti conclusione. II, videtur ponere, quod res futuræ non existunt reali præsentia in æternitate antequam sint in se. Cæterum Molina satis se explicat, quod non debeat dici res existere in æternitate per anticipatam præsentiam, seu distinctam productionem in

æternitate ab ea qua producitur res in tempore et quod ista præsentia rerum in æternitate nihil conducit ad divinæ præsentia certitudinem, quæ non sumitur a rebus. Verum de hoc ultima infra disputatione XIX, dicemus ostendendo, quomodo illa præsentia ad intuitivam futurorum visionem conducat. Primum vero non est contra nos, qui non dicimus esse res in æternitate per aliquam anticipatam productionem distinctam ab ea, qua in tempore res producuntur, sed eadem quæ est in tempore, est etiam in æternitate, ut postea ostendetur. Sed quidquid in illa disputatione XIV, voluerit Molina certe in disputatione XIII dicta nullo modo istum sensum admittit. Et videri potest secundum argumentum, quod ibi ponit Molina, nam est ipsamet explicatio p. Alarcon et illud argumentum solvit Molina ut positum contra se. Et videri etiam potest solutio ad tertium. Eodem modo loquitur Granados, qui cum aliis citatis videri possunt. Ex Thomistis ergo istam sententiam tenent cap. I, dist. XXXVI., q. I, art. II, conc. I et XXII; Ferrariensis I, contra gentes, c. LXVI; Hispanensis in dist. XXXVIII, quæstione unica, art. III, notabili II, post medium, quem falso pro opposita sententia allegari etiam advertit p. Gillius, lib. II, tract. X de æternitate Dei, c. XVI, Abulensis in caput. XI Josuæ, q. XX, XXI et XXII; Catharinus, opusculo de præscientia et providentia Dei, c. III et IV; Cajetanus I p. q. XIV, art. XIII, ibi Bagnèz, Zumel, Navarrete, contr. LII. Abulensis, lib. II de auxiliis, disp. VIII, Molina, Granados, Fonseca citati, et communiter omnes Thomistæ hujus temporis, Gonzalez I p. dis. XLIII, sect. III, Car. theologi, tractatu de scientia Dei, et alii.

D. THOMÆ MENS.

III. De mente D. Thomæ etiam dicitur est, pro qua sententia stete-

rit, nam aliqui præsertim ex recentioribus existimant D. Thomam nunquam sensit, quod res secundum realem durationem etiam sub mensura superiori coexistunt æternitati, sed solum objective prout sunt cognitæ a Deo, et in ejus præscientia, quia sic intellexerunt D. Thomam aliqui ex antiquis ejus discipulis, ut Ægidius in castigatorio corruptorii in I p. D. Thomæ, ar. III, et Silvester in conflato, q. XIV, art. XVI, §. I, qui citat Hervæum in I, dist. XXXVIII. Et moventur ex aliquibus locis D. Thomæ quia non aliter videtur ponere præsentiam rerum in æternitate, quam ut cognitæ sunt a Deo. Nam in hac prima parte, q. XVI, art. VII docet non aliter res esse æternas, nisi quia sunt in intellectu divino, et in causa sempiterna. Et q. XX, art. II a d II, docet: « Quod licet creaturæ ab æterno non fuerint, nisi in Deo, tamen per hoc, quod ab æterno in Deo fuerint, ab æterno Deus cognovit res in propriis naturalibus. » Et I-2, q. XXXI, art. I ad I, inquit: « Quod ea, quæ in se ipsis non sunt, apud Deum existunt in quantum sunt ab ipso cognita, et præordinata. » Et similiter q. XII de verit. art. III, ait: « Futura contingentia antequam sint, præexistere in duobus, nempe in præscientia divina, et causis creatis. » Ergo sentit D. Thomas non aliter res esse præsentis Deo, quam objective, prout sunt cognitæ præscientia æterna. Ac denique absolute negat, quod ante mundum non fuit aliquod tempus existens in rerum natura, ut docet in II, dist. I, q. I, art. V ad VII.

IV. Cæterum indubitate dicendum est D. Thomam sensit res non solum habere præsentiam objectivam, et per modum rei cognitæ respectu præscientiæ æternæ, sed etiam induere præsentiam respectu ipsius æternitatis, et actionis æternæ in quantum ab ipsa æternitate men-

surantur immutabili mensura æternitatis, non autem ut mensurantur mensura propria temporali successiva, remota autem præsentia objectiva, et per modum cogniti respectu præscientiæ, et ponendo præsentiam respectu æternitatis, ut æternitas est mensura durationis, et est attributum condistinctum a præscientia trahente res ad se in ratione cogniti, non restat alia præsentia, nisi per modum coexistentiæ, et durationis, non quia res quæ nondum sunt in se, sub propria mensura, et duratione affectæ coexistant Deo, sed ut affectæ, et elevatae ad altiorem mensuram æternitatis modo infra explicando, et articulo precedenti insinuato. Itaque ipsa duratio, et mensura temporis sub quo res volvuntur, et successive transeunt in sua mensura propria et homogœna, in æternitate quidem invenitur, sicut res contenta, non tamen, ut ratio mensurans, nec sub modo proprio exercens mensurationem rerum, sed sub modo immutabili æternitatis contenta, et mensurata.

V. Quod ergo præter objectivam præsentiam, quam res habent in præscientia æterna, D. Thomas agnoscat præsentiam durationis, et existentiæ realis in æternitate, probatur primo ex illa consequentia, quam sæpe facit D. Thomas quod Deus intuetur futura contingentia in se ipsis ex eo quod sunt illi præsentia in æternitate, non vero ex eo quod sint aliquando præsentia in tempore, hæc enim præsentia in tempore est futura tempori non præsens, solum vero objective affecta a cognitione æterna. Ergo probat præsentiam objectivam in præscientia ex aliqua alia præsentia, quæ objectiva non sit, alioquin probat res esse præsentis objective, quia præsentis sunt objective, si quidem præsentia quam habent in æternitate, ut di-

cunt isti auctores non est alia, quam quod ipsa præsentia, quam habent in se ipsis et extra causas in tempore, sit objective in præsentia æterna, quod esset committere stultam battologiam.

VI. Vidit efficaciam hujus argumenti citatus auctor in dicta disputatione II, c. VIII, n. VII, et inquit nunquam dixisse Div. Thomam ex eo res futuras a Deo cognosci, quia præsentis sunt, sed ex eo præsentis esse, quia cognoscuntur sic enim dicit I p. q. XIV, art. XIII: « Quod omnia, quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia, quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia prout sunt in sua præsentia, » quod de præsentia objectiva optime intelligitur, ideo enim res est præsens objective intellectui, quia fertur intellectus in illam per cognitionem, per quam sicut per rationem formalem efficitur præsens res objectiva: imo si sermo esset de præsentia reali, asserisset Div. Thomas intuitum Deferri in res futuras, quia sunt præsentis ab æterno, oppositum autem asserit D. Thomæ cum dicit, ideo res esse præsentis Deo ab æterno, quia ejus intuitus fertur ab æterno in illa.

VII. Cæterum hic auctor cum ad pauca respexerit facile paralogizavit, nam ex uno tantum loco D. Thomæ quem ponderat, infert nunquam Div. Thomam fecisse illam consequentiam, cum tamen in multis locis illam fecerit Div. Thomas, quæ etiam adducuntur a Gillio et Granados ubi supra. Et in primis fit ista consequentia a D. Thoma I contra gent. c. LXVI, n. VI et VII, nam loquens de ipsa æternitate secundum se, et sine respectu ad intelligere, inquit: « Quod quidquid est in quacumque parte temporis coexistit æterno quasi præsens eidem, et si respectu alterius partis temporis sit

præteritum vel futurum. Æterno autem non potest aliquid præsentia-liter coexistere nisi toti, quia successione durationem non habet; quidquid igitur per totum decursum temporis agitur divinus intellectus in tota sua æternitate intuetur quasi præsens. » Et postea subdit: « Rerum, quæ apud nos nondum sunt, Deus videt non solum esse quod habeat in suis causis, sed etiam illud quod habent in se ipsis, in quantum ejus æternitas est præsens sua indivisibilitate omni tempore. » Probat ergo D. Thomas videre Deum res in se ipsis quod est esse illi præsentibus objective, ex eo quod in sua æternitate præsentibus sunt, et ipsa æternitas est præsens omni tempore, æternitas autem non est præsens cognoscendo, quia non est attributum cognitionis, sed durationis. Et si intelligeretur de præsentia objectiva solum in æternitate, probaret quod videt Deus res in se ipsis in æternitate, quod est esse præsentibus objective, quia sunt præsentibus objective æternitati. Eadem consequentiam facit in III contra gent. c. CLIV, ubi inquit: « Quod futura contingentia soli divinæ cognitioni subsunt, quia ea in se ipsis videt, cum sint ei præsentia ratione suæ æternitatis: » sed subesse cognitioni in se ipsis est esse præsentibus cognitioni objective, ergo si id probat, quia sunt præsentibus in æternitate, non probat ex præsentia objectiva, sed ex reali, alias probaret præsentiam objectivam ex objectiva. Et opusc. II, cap. CXXXIII, facit eandem consequentiam: « Quod Deus per certitudinem cognoscit omnia, quæcumque per temporis decursum aguntur in suo æterno, nam æternitas sua præsentia litate totum temporis decursum attingit, et ultra transcendit. » Probat ergo D. Thomas res futuras, et quæcumque in tempore aguntur cognosci a Deo, quia

præsentibus sunt in æternitate, non vero præsentibus esse, quia cognoscuntur. Eadem consequentia videri potest apud D. Thomam, q. II de verit. art. XII, ubi dicit: « Quod cum visio divinæ scientiæ æternitate mensuretur, quæ est tota simul, et tamen totum tempus includit, nec alicui parti temporis deest, sequitur, ut quidquid in tempore geritur, non ut futurum, sed ut præsens videat, » sed videri ut præsens est habere illud ut præsens objective, ergo probat præsentiam objectivam ex mensuratione æternitatis, quæ includit totum tempus, æternitas autem mensurat visionem, et includit tempus non cognoscitive, et ut objectum cognitum, sed secundum realem durationem, ergo de illa loquitur D. Thomas, alioquin probaret quod videret divina scientia aliquid ut præsens, quia est in æternitate præsens cognoscitive, quod est probare præsentiam cognoscitivam ex præsentia cognoscitiva. De eodem videatur S. Thomas, q. XII de verit. art. VI et I p. q. LVII, art. III, ubi probat Deum cognoscere omnia in se ipsis: « Quia videt omnia in sua æternitate, quæ cum sit simplex, toti tempore adest, et ipsum concludit, » et refert se ad id quod dictum est cum de scientia Dei ageretur. Ergo probat Deum videre in se ipsis res futuras, quia æternitas in qua illas videt adest omni tempore, et concludit illud, ergo hæc præsentia æternitatis concludentis tempus, est ratio illius præsentia litæ in visione, ergo non est ipsa præsentia visionis, sed alia scilicet præsentia realis, et durationis. Et ita intelligi debet quod dixit Div. Thomas I p. q. XIV, art. XIII, si quidem in loco quæstionis LVII, sic se intellexisse dicit, et ad illum locum se refert, nimirum quod Deo in æternitate omnia sunt præsentia, quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia

prout in sua præsentia litate, quia scilicet ille intuitus supponit talem præsentiam in æternitate, et non solum facit ipsam præsentiam objectivam in cognitione, hanc enim præsentiam probat per illam, ut dicta quæstio LVII, manifestat, et ipsa intuitiva visio requirit, quæ est de re præsentibus in reali duratione, non solum objective, seu cognoscitive præsentibus.

VIII. Et ex hoc rejicitur alia minus accommodata responsio ad mentem S. Thomæ. Dicunt enim quidam, quando D. Thomas probat Deum cognoscere res futuras tamquam præsentibus, quia in se ipsis sunt præsentibus æternitati, loqui de præsentia futurorum in tempore pro quo erunt, eo quod cognoscit illas non in suis causis indifferentibus, sed in se ipsis pro tempore quo erunt, et hoc tempus adest præsens divinæ cognitioni objective, sicut intuiti ex alta specula res a longe manifestantur. Sed hi non ponderant vim locorum D. Thomæ. Non dicit D. Thomas Deum cognoscere res ut præsentibus, quia in præsentia temporis a se speculata videt illas, sed quia sunt præsentibus æternitati, et quia æternitas præsentibus sibi facit omnem differentiam temporis, ergo impertinenter ad explicandam mentem D. Thomæ adducitur præsentia in tempore objective præsentibus divina cognitioni, et negatur præsentia durativa in æternitate, cum Div. Thomas ex præsentia rerum non in tempore cum extra causas producuntur in propria mensura, sed in mensura ambiente omne tempus probet videri a divina cognitione. Mensura autem ambiens omne tempus non est tempus, sed æternitas, si ergo in æternitate solum sunt objective, et in tempore durative, et D. Thomas probat ex præsentia in æternitate, non ex præsentia in tempore Deum videre res præsentibus, er-

go probat ex præsentia objectiva præsentiam objectivam, quo nihil absurdius. Nec potest dici, quod quia mediante æternitate Deus coexistet tempore, quando res in tempore ponuntur, ideo per eam videt Deus res præsentibus, id est, in se ipsis pro tempore suo. Nam contra est, quia secundum hoc res non sunt præsentibus in æternitate, sed vere futura, quia solum ex parte æternitatis est duratio, quæ coexistet cras ambulationi meæ, non tamen est jam illi præsens ambulatio mea, sicut Angelus habet entitatem, quæ erit præsens cogitationi crastina, et ego habeo entitatem, quæ erit præsens locutioni crastina, nec tamen dicor habere illam locutionem præsentibus entitati, sed futuram, Div. Thomas autem dicit esse præsentibus res futuras æternitati, et inde probat cognosci ut præsentibus a Deo, et non ut futuras, quia in æternitate ejus intuetur, ut patet in hoc articulo XIII, et locis supra citatis. At vero illo modo explicato, erunt res futura ipsi æternitati, et solum præsentibus objective.

IX. Denique, in dist. XXXVIII, quæstione unica, art. V expresse distinguit has duas præsentias cognitionis, et æternitatis, dum dicit in corpore articuli: « Cum Deus sit æternus, oportet quod cognitio ejus modum æternitatis habeat, qui est esse totum simul sine successione. Unde sicut quamvis tempus sit successivum, tamen æternitas ejus est præsens omnibus temporibus una, et eadem, et indivisibilis, ut nunc stant, ita et cognitio sua intuetur omnia temporalia, quamvis sibi succedentia, ut præsentia sibi, nec aliquid eorum est futurum respectu ipsius. » Ecce quomodo comparat D. Thomas præsentiam cognitionis cum præsentia æternitatis, dicens, quod sicut æternitas est præsens omnibus temporibus indivisibiliter,

ita et cognitio Dei intuetur ea, ut præsentia sibi, et non ut futura. Intueri ut præsentia sibi, est esse præsens objective, et ut cognitum, dicit autem ita cognitionem intueri res præsentis sibi, sicut æternitas ejus est præsens omnibus, ergo distinguit inter præsentiam cognitionis, et æternitatis, dicens ita illam dari, sicut hanc. Præter præsentiam autem cognitionis objectivam, non restat alia in æternitate, nisi præsentia durationis, quam indivisibiliter, et sine successione dicit D. Thomas esse in æternitate, ergo hanc negare in D. Thoma est cæcutire.

X. Ad loca in contrarium allata respondetur facile, quod D. Thomas ponit præsentiam cognitionis, non tamen negat præsentiam durationis rerum in æternitate ratione ipsius æternitatis. Itaque in primo loco ex quæstione XVI, solum docet veritatem esse æternam in intellectu divino, loquendo de veritate formali, quæ reperitur in enuntiatione, seu judicio intellectus, nullum enim tale judicium invenitur æternum, nisi in mente divina, de ipsa autem veritate entitativa non loquitur quomodo sit, vel non sit præsens æternitati. In secundo loco ex quæstione XX, affirmat creaturas non fuisse ab æterno, nisi in Deo, et hoc sufficere, ut cognoscat eas in propriis naturis, sed quomodo fuerint in Deo ab æterno, an solum in ratione cogniti, an etiam in continentia durationis mensurantis, ibi non explicat, et sic ex affirmatione existendi solum in Deo, non infertur quod solum uno modo sint in Deo, licet intento D. Thomæ ibi sufficeret existentia in Deo per modum cogniti. In tertio loco non explicat, neque negat res esse in æternitate sub duratione æternitatis, sed solum explicat quomodo sint in lege, et ordinatione divina, in qua utique res continentur ab æterno, ut præordinatæ,

et cognitæ, hoc enim suo proposito serviebat, non tamen negat etiam in mensura æternitatis præsentis esse, non suæ propriæ mensurationis coexistentia, sed ipsius æternitatis. In quarto loco D. Thomas affirmat existere futura in illis duobus, non tamen negat existere etiam in æternitate, ut aliis locis affirmavit, ibi autem non dixit, quia proposito suo non conducebat, sed solum quod esse in præscientia divina, ut inde imprimantur in mente prophetæ eorum revelationes, non imprimuntur autem ab æternitate, sed a scientia Dei, et ideo de hac tantum fecit mentionem. In ultimo loco dicit ante mundum non fuisse aliquod tempus existens in rerum natura secundum propriam mensuram et durationem, non tamen secundum elevationem mensuram æternitatis, de quo ibi non agit.

XI. Ex his relinquatur exclusa illa solutio de existentia rerum in æternitate solum objective et in ratione cogniti, quam etiam docet Suarez lib. I de absoluta scientia Dei, c. VII, n. XVIII, et p. Arrubal I tom. I p. disp. XLI, c. IV et VIII.

XII. Ut tamen perfectius mensura Div. Thomæ penetretur advertendum est, coexistentiam rerum temporalium cum æternitate non uno modo intelligi posse, nam vel potest facere hunc sensum, quod res temporalis in sua propria mensura, et modo temporali existens coexistat æternitati, et sic negatur a D. Thoma et ab omnibus negari debet quod existat aliquid ab æterno in æternitate, cum sit fides catholica omnia incepisse in tempore, scilicet in mensura temporali. Vel potest facere hunc sensum quod non ratione propriæ mensuræ, sed ratione ipsius durationis, æternæ res quæ habebunt suam propriam mensuram jam existant in æternitate co-

existendo ei non propria, sed aliena ipsius æternitatis duratione, affectæ. Et hoc adhuc dupliciter, vel quia adæquate toti æternitati, et totaliter coexistunt, scilicet pro omni correspondentia, et respectu æternitatis, vel quia inadæquate, id est, quia licet toti, et indivisibili æternitati immutabiliter coexistent, sed non pro omni modo et pro omni respectu, sed solum coexistunt æternitati prout correspondet virtualiter huic durationi temporis, in quo tamquam in propria mensura existent non prout virtualiter correspondet alteri durationi temporis, in quo temporaliter non existent, dicuntur ergo res temporales coexistere æternitati, indivisibiliter quidem et immutabiliter toti æternitati, sed non totaliter, et adæquate, id est, non sub omni respectu et habitudine, qua correspondet virtualiter æternitas omni durationi temporis, quia nulla res creata contenta sub æternitate adæquat illam in duratione sua. Res autem ut cognitæ objective, denominantur cognitæ ab æterno ita adæquate sicut et ipsa cognitio a qua denominantur, æterna est adæquate.

FUNDAMENTA HUIUS SENTENTIÆ.

XIII. Non est levius, sed præ omnibus ponderosius in materiis theologis fundamentum alicujus sententiæ, quæ se conformat modo loquendi patrum. Et ideo in hac parte Div. Thomæ sententia præcipue fundatur in sensu sanctorum patrum qui sic loquuntur. Sed quia plures solent afferri auctoritates, et urgent adversarios, quia explicantur de præsentia objectiva, et in ratione cogniti, ideo omitemus illas, et solum adnotabimus, quæ in hoc sensu explicari non possunt. Et primo videri potest Augustinus XI confess. cap. X, ubi sic loquitur: « Quis tenebit cor, et figet illud, ut paulu-

lum stet et paululum rapiat splendorem semper stantis æternitatis, et comparet cum temporibus nunquam stantibus, et videat esse incomparabilem, nec præterire quidquam in æternitate, sed totum esse præsens? » Ubi Augustinus aperte loquitur de æternitate in ordine ad creaturas, quas dicit non præterire in æternitate, sed esse præsentis, nec loquitur de illis ut cognitæ et respectu visionis, sed respectu æternitatis, seu durationis tantum. Et super Psalmum CI exponens illa verba: *In generationem, et generationem anni tui*, sic inquit: « Æternitas ipsa Dei substantia est quæ nihil habet mutabile, nihil ibi est præteritum quasi non sit, nihil est. Futurum quasi nondum sit, sed quicquid ibi est, non nisi est. » Ubi etiam loquitur Augustinus de æternitate ipsa, ut est attributum distinctum ab intellectu, et sic continet res non sub præsentia objectiva, et sub ratione cogniti, et sub ratione durationis. Et omitto alia loca Augustini quæ vel loquuntur de præsentia rerum in cognitione divina, vel de illa explicari possunt: nec nos negamus dari etiam hanc præsentiam objectivam, et cognitionis rerum in Deo, sed dicimus etiam dari aliam æternitatis, et hanc explicari a patribus quando de æternitate tantum loquuntur, quæ est duratio, et non de scientia, seu cognitione quidquam exprimunt.

XIV. Secundo, D. Isidorus lib. I de summo bono, cap. VI: « Omnia, inquit, tempora præcedit divina æternitas nec in Deo præteritum, præsens et futurum aliquid creditur, sed omnia præsentia in ea dicuntur, quia æternitate sua cuncta complectitur, alioquin mutabilis est Deus credendus, si ei successiones temporum adscribuntur. » Et beatus Petrus Damianus, epistola IV de omnipotentia, cap. VIII: « Illud hodie, inquit, æternitas est incommutabi-